

Herculi Minervaeque sacratiss, Syriam petit, Damascum, ubi regis gaza erat, Parmenione praemisso.

ABDOLONIMUM SIDONIS REGEM ALEXANDER PRAEFECIT.

(LIB. IV, c. 1.)

Inde (ab oppido Babylone) ad Sidona ventum est, urbem vetustate famaue conditorum inclytam. Regnabat in ea Strato, Darii opibus adjutus; sed, quia deditionem magis popularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus, Hephaestionique permissum, *ut, quem eo fastigio Sidones dignissimum arbitrarentur, constitueret regem.* Erant Hephaestioni hospites clari inter suos juvenes, qui facta ipsis potestate regnandi, negaverunt, *quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum.* Admiratus Hephaestio magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent: *Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quanto majus esset regnum fastidire, quam accipere. Ceterum, date aliquem regiae stirpis, qui meminerit, a vobis acceptum habere se regnum.* At illi, quum multos imminere tantae spei cernerent, singulis amicorum Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantes, statuunt: *neminem esse potioem quam Abdolonimum quemdam, longa quidem cognatione stirpi regiae adnexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe.* Caussa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subito deinde, de quibus ante dictum est, cum regiae vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens Abdolonimus repurgabat. Tunc rege eo salutato, alter ex his: *Habitus, inquit, hic, quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus illuvie aeternisque sordibus squalidum: cape regis animum, et in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer. Et quum in regali*